



1752,3
19

DE ORIGINE
IVDICIORVM VEMICORVM

PROLVSI O ACADEMICA

QVA

RECITATIONES PHILOSOPHICAS
ET IVRIDICAS


PER SEMESTRE HIBERNVM
ANNORVM MDCCLI ET MDCCLII

INSTITVENDAS

INDICAT

CAROLVS GERARDVS GVILIELMVS
LODTMAN N

PHILOS. ET V. L. D. PHILOS. P. P. O.
ET FACVLT. IVRID. ADS.



HELMSTADII
LITTERIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.



244
p 452

DE ORIGINE

REPUBLICAE AMERICANA

REPUBLICAE AMERICANA

REPUBLICAE AMERICANA

REPUBLICAE AMERICANA

REPUBLICAE AMERICANA

REPUBLICAE AMERICANA

REPUBLICAE AMERICANA

REPUBLICAE AMERICANA

REPUBLICAE AMERICANA

REPUBLICAE AMERICANA

REPUBLICAE AMERICANA

REPUBLICAE AMERICANA

100





I.

udiciorum Vemicorum originem atque erectionem et famam late didita, et ipsae huius iudicii litterae atque leges, et auctores medii recentiorisque aevi non pauci Carolo Magno, victori Saxonum, attribuerunt. Inter historicos, qui primi terribilis huius iudicii meminerunt HENRICVS DE HERFORDIA, AENEAS SYLVIVS, ERDWIVS

A 2

I. ORDINATIONES IUDICII VEMICI apud HAHN. in *Collect. Monum. vet.* Tom. II. p. 598. 599. 602. 603. cet. et V. C. GODFRED. MASCOV. in *Notit. Iur. Brunf. Luncb.* append. p. 48. 50. 80. sq. 84. 97. 104. 114. cet. REFORMATIO IVD. VEM. ap. DATT. *de pace Imperii publica*. Lib. V. c. VII. n. 1. p. 774. add. DATT. p. 732. n. 59. et REEFINGER. in *Vitriario Illustrato* T. III. p. 475. 478. n. 3. LITTERAE IUDICVM VEMICORVM anni 1457. 1458. ap. DATT. *de pace Imperii publica* Lib. V. cap. II. p. 730. n. 32. 33. p. 742. n. 45.

IV
 NVS ERDMANNVS, 2. scriptores non contemnendi, Carolum illius auctorem laudant, quos alii 3. cateruatim sequuntur. Quum superiore et hoc ipso, quod nunc ultra medium iam produximus, saeculo, doctissimi viri res gestas ex fontibus, iisque et primis et fide dignis eruere cepissent, nec quidquam, nisi quod ab aequaevis narratum fuerit, pro certo admittendum esse decreuissent: statim apparuit non esse vllum ex aetate Caroli scriptorem, initia Vemici iudicii referentem. Vnde GRYPHIANDER, THOMASIVS pluresque 4, Carolum non instituisse ista iudicia pronunciarunt; testimonia et ipsorum Vemicorum iudicum et auctorum iuniorum pro nullis et non adiectis habentes.

II.

2. HENRIC. DE HERFORDIA ap. MEIBOM. *de Irminsula c. 12. T. III. Rev. Germ. p. 25.* AENEAS SYLV. *de statu Europae c. 29.* ap. FREHER. *Rev. Germ. T. II. p. 74.* et MEIBOM. *l. c. ERDMANN. in Chron. Osuabr. ap. MEIBOM. Rev. Germ. T. II. p. 198.* WERNER. KOLEVIN. *de antiquor. Saxon. situ et moribus Lib. II. c. 6.* (Colon. 1602. 12.) p. 84.
3. CHYTRAEVS in *Chron. Saxon. Tom. I. p. 117.* (Rostoch. 598. 8.) VBBO EMMIVS *Rev. Frisicar. Decad. I.* (Arnheim. 1605. 8.) *L. III. p. 169.* SCHATENIVS in *Annal. Paderb. L. V. ad a. 1024. T. I. p. 465.* aliique, quos euocare labor est, enumerati maximam partem a PFEFF. *l. c. p. 475. sqq.* V. C. IOD. HERM. NUNNINGHVS in *Monum. Monast. Dec. I. Mon. VIII. Borkenae not. (e) p. 176.* Carolo M. tribuit, et ex diplomate, quod Trutmannianum appellant, deducere iudicia Vemica adnititur.
4. GRYPHIANDER *de Weichbildis cap. 54.* SCHVRZFLEISCH. *in notis ad Boiem. p. 118.* THOMASIVS in *diff. de vero origine, natura, progressu et interitu iudiciorum Westphaliorum.* (Hal. 1717. respond. Io. Laur. Fleischer) KOPP. in *historia Iuris Part. V. Epoch. V. lib. 5. p. 230.* aliique innumeri, quorum aliquos nominauit PFEFFING. *p. 478. n. (b)*

Illorum nonnullis visum fuit non conuenire nec ingenio nec Caroli ipsius legibus Vemica iudicia; et esse ea aeuu iunioris abusus: alii illa non diuersa existimarunt a iudiciis Germanorum antiquissimis; alii Colonienfium Archiepiscopum Engelbertum, quem sanctum dicunt, inuentorem putauerunt; alii, vt solet fieri inter doctos, diuersa censuerunt. Multa poterant dici, si singulas sententias enumerare, illarum argumenta examinare et quanti valerent, quidue ad eas reponi possit, adferre animus esset. Nihil eorum nunc ago. Multo minus ex instituto naturam et potestatem Vemicorum iudiciorum, ea peragendi modum, et personas illa exercentes ceteraque enarrare iuuat; si in id incumberem non agerem nisi acta dudum a DATTIO, THOMASIO, PFEFFINGERO, aliis; licet passim dicta, et adhuc ceu sibyllae folia dispersa, in ordinem redigi forte non esset futurum inutile. Paucissima tantum de ipsa iudiciorum dictorum indole quasi per indicem adducere non erit a proposito meo alienum.

III.

Narrat HENRICVS DE HERFORDIA, instituta esse a Carolo iudicia Vemica, *vt patriam illam in fide Christi et fidelitate regis (Caroli nimirum) manutenerent; studente Carolo, regionem ipsam expurgare*
 A 3 *furtis,*

5. Vid. instar omnium PFEFFINGER. in *Vitr. illustr.* Tom. III. p. 468. sqq. Tom. II. p. 602. sqq. DATTIVS libro laudato. THOMAS. cit. diff. et ANONYMVS apud PISTORIUM in *Amoenit. historico-iurid.* Tom. I. P. III. p. 836-871.

VI

furtis, quod terra saltuosa sit et latibunda, periuriiis etiam et prodicionibus et aliis talibus sibi crebro comperitis. Distincte magis rem exponit YLVIVS: Carolus M. inquit, multa cum Westfalis praelia gessit, eosque magnis adfecit cladibus. coegitque Christi religionem amplecti, relicto idolorum cultu: quem quum saepius abnegassent, nec iusiurandum aduerterent, ut in etu poenae rebellionem compesceret, occultos instituit iudices, quibus potestatem dedit, ut quamprimum deierasse aliquem comperissent, aut fregisse fidem, aut aliud aliquod flagitium commississe, mox illum supplicio adficerent, ubi primum comprehendi possit. - Elegit viros graues et recti amantes, quos plectere innocentes haud verisimile fuit. - Qui praesunt, Scabini appellantur. Ipsorum magna pars occulta est, qui per prouincias discurrentes criminosos notant, et referentes iudicio accusant, probantque, ut eis mos est. Dammati describuntur in libro et minoribus Scabinis committitur exsequutio. Reus ignarus suae damnationis, ubicunque repertus fuerit, supplicio adficitur. Similia narrat ex antiquo libro TVRCKIUS 6. addens: Frigrauius soli Caesari patefacere potest, quis et ob quod crimen condemnatus sit. Nomina horum iudiciorum Vernicorum sollempnia fuerunt iudicium liberum (freygericht) 7., placitum legitimum, quod dicitur frigetbinc 8.; seye ding und eche te ge

6. apud THOMAS. in cit. diff. §. XXXII. not. (f) p. 59. et PFEFF. l. c. p. 492. add. RESPONSIO 5. SCABINORVM ap. DATT. p. 778. n. 12, et HAHN. p. 614.
 7. DATT. p. 727. n. 5. PFEFF. l. c. p. 472. 474.
 8. dipl. a. 1211. ap. V. C. IO. VOGT. in Monum. Rer. Brem. P. I. p. 37. p^r.

te gerichte: echte ding und frye gerichte 9: locus iudicii, et nonnunquam iudicium ipsum, audiit *sedes libera* (der freye stuhl; stuhlgericht) 10: Dominus iudicii dictus fuit: Stuhl-Herr; iudex ipse: *comes liber* (Frey-Gräse); adfessores: *Scabini* et: *liberi scabini* (Schöpsfen / Frey-Schöpsfen) 11. Id fere iis solis peculiare est iudiciis vt iis tribuatur *sedes* (eitt Stuhl); reliquis iudiciis in Westfalia nunquam *sedes*, sed solummodo *scamnum* (eine Banck) adscribitur; quod tamen iudiciis quoque *venicis* competiisse constat. Iudicia *Vemica* exercita sunt regio seu Imperatoris nomine, 13 ab eius potestate appellata *imperialia placita libera* 14; pax in illis regis nomine proclamata fuit 15; iudices nomine et auctoritate regis *federe dicti* 16 banno

9. vid. ap. MASC. ORD. p. 51. 52. 54. 55. 56. 63. Add. PFEFF. p. 473. n. 1. DATT. p. 727. n. 5.
 10. PFEFFING. T. III. p. 472. sq. not. (e) DATT. p. 727. n. 10. sqq.
 11. ANN. CORBEL. ad a. 1349. ap. LEIBN. *Rev. Br. T. II.* p. 314. PFEFF. T. II. p. 602. sq. T. III. p. 482. sq. DATT. p. 728. n. 21. 22.
 12. REFORMATIO FRIDERICI III. a. 1442. tit. 9. ap. PFEFF. p. 475. IDEM p. 487. sq. n. (c) DOCVM. apud DATT. p. 734. n. 80. 81. p. 741. n. 27. sqq.
 13. Unter Königs-Bann ORD. ap. HAHN. p. 649. 650. 622. 623. von Königlich-er Gewalt. DOCVM. ap. EVND. p. 637. ein Königs-Gericht *ibid.* p. 641. einen Königs-Pflicht-Tag legen *ib.* p. 642. n. XXIII. vor dat heymliche Gerichte unde frigraven in de Könincklichen Gewalt fallen MASC. p. 103
 14. DIPL. a. 1211. ap. VOGT. l. c.
 15. Quod vocatur: *eynen ganzen olden vasten steden Königssteden werden under Königs-Bann.* MASC. p. 53. 54. 68. 69. 105. qui peccauerat in iudicio, dictus est des Königsfriede brechen HAHN. p. 643. MASC. p. 94.
 16. in ORDIN. apud MASC. p. 83. dicitur de frigravio: dat he in Bayserlicher Königlich-er Stadt und stoll sytte add. p. 102. HAHN. p. 600. die Banck des Königs steden. HAHN. p. 651.

banno regio vti sunt 17; et reges ipsi, quando ex favore singulari concessere iudicia vemica noua, dedere potestatem illa habendi under Königs-Bann nach Veme-Recht 18. Vemici iudices ab Imperatore inuestiti sunt 19. neque enim licuit quondam banno regio vti qui bannum non obtinisset ab ipso Imperatore 20. Iudices iidem solum superiorem Imperatorem admittentes, omnium supremos sese iudicauerunt, (wente de fiven Gerichte unde heymliche Achten de hogesten und swarsten Gerichte sind unde boyen alle Gerichte unde rechte gan) 21. Ab antiquissimis temporibus Archiepiscopi Colonienfes, et

17. in Königs-Bann an wedde setten. MASCOV. p. 100. wedder in Königs-Frede setten: *ibid.* p. 104. 105. Conf. DATT. p. 737. n. 129. 130.
18. Ludouicus Bauarus a. 1332. nouum iudicium Vemicum sub hac formula concessit Episcopo Mindensi. DATT. p. 734. PFEFF. l. c. p. 472. Illustris KOCH. in egregio libello nuper excuso der Anmerkungen von den Westfälischen Gerichten auch den vormalige Landgerichten in Deutschland (1751. 4.) §. X. p. 30. sq.
19. laudatum DIPL. LVDOVICI BAVARI, DIPL. WENCESLAI Imp. a. 1372. ap. IOANNIS in *Spicil. Tabul. Chararumque vet.* p. 66. sq. DATT. p. 730. n. 28. 29. 30. 740. n. 1. 199. REFORM. IV. WESTE. ap. DATT. p. 774. n. 1. RESPON-SIO SCABINORVM I. ap. DATT. p. 777. n. 2. et HAHN. p. 612. ORDIN. ap. MASCOV. p. 50. 63. 64. PFEFF. p. 472. 482. sq. n. (a). Illustris KOCH. l. c. §. XI. n. 75. V. C. NÜNNINGH l. c. p. 177. 179.
20. IVS PROVINC. SAX. I. 59. Vid. illustris KOCH. l. c. ORDINATIO apud HAHN. p. 652.
21. Ita ORDINATIO apud MASCOV. l. c. p. 113. Similia habet DATT. p. 730. n. 30. 735. n. 105. sqq. ex DATTIO repetit PFEFF. l. c. p. 473. 486. b. n. 5. RESPON-SIO SCABINORVM 4. apud DATT. p. 778. n. 10. et HAHN. p. 613. sq. in-

et Episcopi Monasterienses ac Paderbornenses huiusmodi iudicia habuerunt. 22. Duplex modus fuit iudicii; alter communis, ceteris iudiciis similis; alter sanctus et arcanus (ein hillig ding und heimliche Recht) finito priori remotis iis, qui secreti non erant participes, a iudicibus et scabinis folis agitur 23. in quo posteriori quae erant gesta, eiusque signa arcana a nemine debuerunt reuelari, nec unquam distincte reuelata reperiuntur 24. Iudicarunt veniici iudices praecipue de iis qui a fide Christiana desciuerant, ecclesias et coemeteria violauerant, prodictiones, furta, homicidia rapinasque commiserant, quique alibi iudicio sese noluerant sistere 25. Condemnati de his criminibus banno regio et proscriptione onerati sunt; idemque decretum contra tertia vice citatos et contumaces. Virique a scabinis postea, ubi-

B

cua-

dicat, remoueri nisi a Caesare non posse Frigrauium; nec hunc nisi illi soli locum cedere MASC. p. 102. add. RES. p. 14. *ibid.* p. 779. n. 32. et ap. HAHN. p. 617.

22. Teste LVD. BAVARO Imp. *in dipl. cit. ORDIN. ap. HAHN. p. 611.*

23. Euidētissime patet ex ordinatione Osnabrugensi a MASCOVIO edita; ut minus necesse sit secreta iudicia a Westfalibus liberis et veniicis separare et quasi diuersa putare, quum utrumque in vno loco, ab eodem iudice; et scabinis iisdem, alterum palam alterum in secreto peractum sit.

24. Vid. SYLV. aliiq. apud PFEFF. p. 475. *sqq.* 493. *sqq.* et memorabile documentum apud DATT. p. 728. *sq.* Add. ORD. ap. MASC. p. 80. *sqq.*

25. Vid. verba allegata HENRICI DE HERFORDIA et AENÆAE SYLVII. Add. REFORMATIO THEODORICI ap. PFEFF. p. 491. DATT. p. 732. n. 59. p. 774. n. 2. *sqq.* ORDINATIO ap. HAHN. p. 607. 628.

X
 cunque deprehensi fuerant, vita priuati sunt; ita vt scabini ad horum iudicatorum exsequutionem obstrikti essent; immo scabinus quisque ab alio sub banno regio imploratus (*der under Königs Banne geruffen wird*) auxilium imploranti ad suspendendum condemnatum praestare debuerit ²⁶. Vnde Wilhelmus Dux Brunswicensis, liber scabinus huius iudicii ad Adolphum ducem Slesuicensem, citatum ad iudicium Vemicum, sed non comparentem; *si perueneritis, inquit, in Deuenie, tunc, quia liber scabinus sum ibidem, oportet, quod in primam arborem aut repagulum inuentum vos suspendam, aut alii liberi scabini me suspendent* ²⁷. Causa in iudicium deducta non decisa est a libero comite; sed ab hoc scabino commissa, qui ex reliquis scabinis, quibus deliberanda proponebatur causa, sententiam quaesuit, ac Comiti renunciavit, ab hoc confirmandam ²⁸. Non licuit scabinis crimina sibi cognita dissimulare; quin officium ipsorum fuit, vt ea in iudicio vemico proponerent ²⁹. Obligati quoque fuere Frigrauii ad annotandum actiones propositas, actores, reos, citatos, scabinos a se creatos, nec non bannitos seu proscriptos ³⁰. Plura de his

²⁶. DATT. p. 737. 738. ORD. ap. MASC. p. 96. *sqq.* RESPONSIO II. SCABIN. apud DATT. p. 778. *sq.* n. 24 ²⁶. ETHAHN. p. 616.

²⁷. Teste IO. BVSCHIO *de reformat. monaster. L. III. c. 42.* apud LEIBNIT. *Rer. Br. T. III. p. 942. f.*

²⁸. vid. DOCVM. ap. DATT. p. 728. *sq.* 742. n. 41. 745. n. 49. p. 754. *Cap. V. n. 7. sqq.* p. 761. *sq.* ORD. ap. HAHN. p. 609. 622. *sqq.*

²⁹. Iuramentum scabinorum ap. HAHN. p. 651. MASC. p. 75. DATT. *Cap. 4. p. 751. n. 15. p. 780. n. 43.* ORD. ap. HAHN. p. 608.

³⁰. ORDINATIO ap. HAHN. p. 606. 630. ANONYMVS apud

his iudicii dabunt ii quos laudauī scriptores, et qui
ab his adducti sunt. XI

III.

Ita comparata fuerunt iudicia Vemica; quae videntur mihi aliquando vere instituta; non sensim et ex nihilo, sed obscuris quidem, non tamen nullis natalibus orta esse. Omne iudicium huius generis exercetur in inuitos et repugnantes; poscit vim, cogentem eos qui condemnantur; rarus est homo, immo, puto, nullus, qui necessitate nulla motus, pareat iubenti nec ullam in ipsum potestatem habenti. Valent haec praecipue de summis iudiciis, maximam potestatem habentibus, magna lataque potentia utentibus; qualia Vemica fuerunt. Non possunt itaque huiusmodi iudicia sine lege, sine principe constituenta esse nata. Recte, si quid ego video, LEIBNITIVS ^{31.} largitus fuit ea *initio auctoritate publica instituta* fuisse.

V.

Sed cuius auctoritate? Sine dubio huiusmodi principis, qui potestate iudicandi polluit per vniuersam Saxoniam; antiquam illam, Westfaliam et Saxoniam inferiorem complexam. Fuere enim ab antiquo Vemica iudicia non in Westfalia sola, sed et in Ostfalia, seu Saxonia quam nunc inferiorem appellare moris est. Duae tantum ab aeuo, cuius habemus me-

B 2

mo-

Pistorium *l. c.* p. 860. Add. Illustr. Koch *l. c.* §. 19. p. 55. 56.
^{31.} in *Introd. ad Tom. III. n. XVII. sqq. p. 14.* vbi ea iudicia ex inquisitione in haereticos originem habere censet.

XII

moriā, personae fuerunt, quae per omnem Saxoniam antiquam potestate iudicandi polluere; dux Saxoniae et Imperator. Largior plus quam necesse erat; poteram negare, Saxoniae ducibus fuisse iudicandi potestatem per Saxoniam vniuersam; sane enim de Westfalia res expedita nondum est, quin potius tot inuoluta dubiis, tot circumsepta vndique difficultatibus, vt mihi liquidum cernere non datum sit. Multo minus constat, duces, praefectos praecipue rebus bellicis, habuisse et exercuisse separata iudicia, distincta a iudiciis comitum ipsis subiectorum, ceterisque prouinciarum suarum iudiciis ordinariis. Concedo tamen ducibus hanc potestatem: Videamus pro quo militet praesumtio; pro duce an pro rege. Iudices Vemici iudicium acceperunt ab Imperatore; iudicauerunt sub banno regio; regis banno vsi sunt; semper se nomine et potestate regis vti professi sunt; nemo vti potuit banno regio, qui non a rege accepisset. Nulla in his iudiciis vnquam ducis mentio: Nihil ergo subest causae, ob quam a duce potius quam rege orta esse iudicia vemica credamus. Recte ergo, ni fallor, regem quendam Germaniae auctorem esse putari potest.

VL

Frustra perscrutaberis historicos vt doceant cuiusnam Germaniae regum, si a Carolo discesseris, origo illorum debeat. Nullum vsquam huius rei vestigium. Neque enim celebris *WIPPONIS de lege Saxonum crudelissima* a Conrado II. Imp. confirmata narratio vel certo vel probabiliter de Vemicis iudiciis expli-

plicari potest 32, et, si posset, non doceret WIPPO institutionem, sed tantum institutorum confirmationem; quae hic non quaeritur. Medii aevi scriptores et monumenta vno animo Carolum auctorem prae se ferunt. Fama, scio, fallax est, vera et certa, falsa et incerta aequae refert, praesertim infida si per longum tempus propagata fuerit. Sed quum regum quendam probabile sit esse auctorem; nullus se offerat alius; certitudinis in aliam partem nulla spes adfulgeat: non video causam quae iubeat, vt Carolum missum faciamus, et quaeramus auctorem alium. Praeterea cura, vt Saxones fidem Christianam seruarent, quae semper Vemicis iudiciis incubuit, non conuenit vt ab alio quam Carolo eis sit mandata; sequente aeuo nullus huius desertionis superfuit metus.

VII.

Iudicia tamen ista digna sunt memoria, vt quae maxime; neque vllus veterum meminit, scribant quamuis de rebus momenti longe multumque inferioris; nec praetermittendum erat institutum vniuersale, singulare prorsus et vastae latitudinis terram concernens. Id mihi probabile reddit, a sequenti consuetudine diuersam fuisse, vt in aliis humanis rebus multis, originem primam; et latere hanc in alio Caroli instituto. Res concernit potestatem iudicandi. Aeuo Caroli et eius poster-

B 3

stero-

32. Vt existimarunt MEIBOMIVS T. III. R. Germ. p. 24. MARQV. FREHERVS ET HACHENBERGIVS in Germ. med. Diff. III. §. 10. GOLDASTVS apud PEEFF. p. 477. H. I. CONRING. de Orig. Iur. German. c. 19. Sed vid. THOMAS. cit. diff. §. III. not. (k). p. 6. sqq.

sterorum non reperio in Westfalia duces iudicantes. Adfunt inter iudices, Comites, eorum Vicarii, et inferiores, Centenarii; tum et missi regii, seu dominici, vt vocantur; forte iam fuere eo aeuo, forte dico, aduocati tum ecclesiastici, bona et iudicia episcopatum atque coenobiorum curantes; tum saeculares, iure proprio et hereditario aduocatum possidentes. Antiqua Saxonum iudicia, (qualia ea fuerint hic incasum a me disquireretur) abolita sunt per pacem, quam in palatio Salzenli cum Saxonibus pepigit Carolus, et substituti Comites et missi. Prouoco ad POETAM SAXONEM ANONYMVM in versibus, nemini ignotis, scribentem:

*Tum sub iudicibus, quos REX IMPONERET ipsis
Legatisque suis, permitti legibus uti
Saxones patriis;*

in quibus Comites et missos, vtrosque a Carolo constitutos, facile distinguere datur.

VIII.

Non oriuntur iudicia Vemica a iudiciis Comitum, aut Centenariorum. His originem debent iudicia particularia ordinaria, seu prouincialia. Ab his Vemica multum differunt, potestate longe diuersa praedita; vt ex alio quoque fonte originem ea trahere necesse sit. Comites nunquam extra prouinciam suam vllam habuere potestatem; nunquam eos qui alibi iuri se noluerant sistere, in iudicium vocare potuerunt; territorio suo adstricti et alligati 33; banno regio aut nulli

33. CAPITVL. DE PART. SAX. C. 34. quod §. X. legitur.

nulli eorum et nunquam, aut saltem paucissimi et rarissime vñ reperiuntur. XV

VIIII.

Nec oriuntur ab Aduocatis iudicia Vemica. Aduocati gesserunt rerum ecclesiasticarum curam; forte et, quae ab episcopis coenobiisue adquisita erat, iurisdictione ab illis exercita fuit; non id nunc ago. Fuerunt adstricti aduocati omnes limitibus suis et aduocatis in quibus exercuerunt iurisdictionem. Nullum ipsis fuit vnquam regium bannum.

X.

Soli ex iudicibus aevi Carolini supersunt missi dominici; quos vtrum liceat pro primis Vemicis iudicibus habere superest vt videamus. Missis regiis inuentum est a Carolo eiusque successoribus, vt inquirerent in ea quae egerant Comites, aliique iudices ordinarii; aut ipsi rem definirent, aut eam ad regem nunciarent et singula scriptis comprehenderent ³⁴ Ipsi non iudicarunt, sed conuocato nomine regis populo res diiudicandas ad decisionem proposuerunt in conuen-

34. CAPITVLARE a. 779. c. 21. CAPIT. III. a. 802. c. 1. CAP. III. a. 812. c. 7-12. CAPIT. I. CAROLI M. anni incerti c. 59. CAPIT. V. a. 819. tot. CAPIT. a. 823. c. 25-28. (CAPITVLAR. L. II. c. 25-28.) CAP. a. 828. CAP. WORMAT. a. 829. tot. Omne missorum dominicorum officium egregie explanauit FRANCISCVS DE ROYE in libro singulari *de missis dominicis* cura V. C. IO. WENDELINI NEVHAUS Lipsiae 1744. recuso. Add. V. C. CHRIST. WILH. FRANC. WALCHII diss. *de missis dominicis Pontificis Romani iudicibus* (Ien. 1749.) §. 1. / 99.

uentibus populi, qui *placita* dicta sunt. 35. Missi hi
 fuere Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Duces,
 Comites 36. Memorantur nonnunquam et missi mi-
 nores, sed qui huius loci non sunt. * Missi iudica-
 nere auctoritate Regia, et banno regio sunt vsi. Ita
 enim sanxit Carolus 37: *Interdiximus, vt omnes Sa-
 xones generaliter conuentus publicos nec faciant, nisi
 forte missus noster DE VERBO NOSTRO eos congregare
 fecerit. Sed vnusquisque Comes in suo ministerio* (i.e.
 in prouincia ipsi tradita) *placita et iustitias faciat.* Et
 alibi 38: *Nostros ad vos direximus missos, qui EX
 NOSTRI NOMINIS AVCTORITATE vna vobiscum
 corrigere quae corrigenda essent. nec non 39: Missis
 nostris praecipimus, vt bona quae aliis PER VER-
 BVM NOSTRVM docent facere, factis in se ipsis osten-
 dant. et iterum 40: vnusquisque missorum nostrorum
 praecipiat DE VERBO NOSTRO. denuo 41: missos no-
 stros AD NOSTRAM VICEM mittimus. Eodem mo-
 do Ludouicus Pius 42. se iis concessisse dicit vt SVA*

AVCTO-

35. *Lib. II. CAPIT. c. 26. De his placitis missorum late agit
 FRANC. DE ROYE l. c. p. 83. sqq. praesertim p. 90. sqq.*
 36. *CAPIT. I. a. 802. c. I. CAP. II. a. 802. post cap. 23. CAPIT.
 a. 825. c. 25. (Lib. II. c. 25.) Lib. III. c. 69. FRANC. DE ROYE
 lib. cit. c. 8. p. 39. sqq.*
 * *Vid FRANC. DE ROYE lib. cit. c. II. p. 10. sqq.*
 37. *in CAPITVLARI DE PART. SAX. c. 34.*
 38. *in PRAEFATIONE CAPITVLARIS A QVISGRANENSIS
 anni 789.*
 39. *in CAPIT. a. 789. c. 21.*
 40. *in CAPITVL. a. 807. c. 3.*
 41. *in CAPIT. I. a. 809. c. 36. (Lib. III. app. II. c. 25.)*
 42. *in CAPIT. a. 828. epistol. general.*

AVCTORITATE corrigerent. Ex hac per Carolum M. et Ludouicum Pium stabilita consuetudine Carolus Caluus 43. constituit: *missi nostri*, inquit, *quos per excommunicationem Episcopus adducere non potuerit, ipsi REGIA AVCTORITATE ET POTESTATE ad poenitentiam vel rationem atque satisfactionem adducant.* Huius potestatis memores missi Ludouici Pii dicunt 44.: *Mandamus vobis EX MANDATO DOMNI Imperatoris; et Hincmarus Luithardo viro illustri mandauit ex auctoritate Dei et sanctae Mariae et sancti Remigii et sua Episcopali; nec non EX BANNO REGIS, cuius missus ipse pontifex erat, ut nullum impedimentum vel ipse vel homines sui hominibus Remensis ecclesiae facerent.* 45. Ex omnibus aevi Carolini iudicibus soli missi potestate regia et nomine regis vsi sunt*; qua et eadem vsi sunt iudices Vemici.

XI.

Missi dominici iussi sunt scabinos per singula loca eligere. Ita CAROLVS 46. *Vt Missi nostri Scabinos, Aduocatos, Notarios per singula loca eligant et eorum nomina quando reuersi fuerint secum scripta deferant.* Et iudices Vemici scabinos per omnia loca legere et nomina eorum in scriptum redegere,

C

XII.

43. in CAPITVLAR. suis tit. XI. c. 10. edit. Baluz. Tom. II. p. 56.
 44. apud BALVZ. T. II. p. 604. f.
 45. Obseruante BALVZIO in notis ad Libr. Capitul. Tom. II. p. 197. et FRANCISCO DE ROYE l. c. c. XIII. p. 62.
 * Conf. HIERON. BIGNON. in notis ad Marculf. in Tomo II. Capitul. R. Fr. edit. BALVZ. p. 955. f.
 46. CAPIT. III. a. 803. c. 3. (Lib. III. c. 33.) et alibi. Vid. DE ROYE l. c. c. VII. p. 12. sqq.

Præceptum fuit missis, vt in prouinciis per quas transirent, ex hominibus veracibus inquirerent, quid in iis terris fuerit actum. En verba mandati 47.: *In omni comitatu, hi qui meliores et veraciores inueniri possunt eligantur a missis nostris ad inquisitiones faciendas et rei veritatem dicendam.* et alibi 48.: *Inquisitio hoc modo fiat. Eligantur per singulos comitatus, qui meliores et veraciores sunt. Et si aliquis inuentus fuerit de ipsis, qui fidelitatem promissam ad huc nobis non habeat, promittat. Et tunc instruendi sunt qualiter ipsam fidem erga nos saluare debeant; id est, vt quicumque ex his talem causam seit in illis rectoribus et diuersis ministris qui populum regere et saluare debent, de quibus interrogati fuerint, quae ad populi damnum et detrimentum pertineat, et propter hoc nobis periculum animae euenire possit, et inhonoratio, omnino se saluam voluerit suam fidem et promissionem habere, manifestum faciat. Et si post talem admonitionem et contestationem aliter quam veritas habeat dixisse aliquis deprehensus fuerit, sciat se inter infideles esse reputandum.* En homines iuratos, obligatos ad detegenda quae compererant delicta: similes prorsus iudiciorum vemicorum scabinis, ad eadem in iudicio proponenda iuramenti vinculo obstrictis.

47. CAPIT. WORMAT. a. 829. c. 3. aliorum Capitulorum. (Addit. L. III. c. 106.) ap. BALVZ. T. I. p. 665. 666.

48. CAPIT. DE INSTRVCTIONE MISSORVM a. 828. c. 3. apud BALVZ, T. I. p. 656. 199.

Missi in mandatis habuisse reperiuntur, ut quae a Comitibus male vel non iudicata erant, et reformarent in melius et deciderent ipsi 34; etiam Vemici iudices competentes erant in omnibus causis aduersus eos motis, qui alibi se sistere noluerant. Inde ordinaria et consueta fuit reorum in Vemicis iudiciis exceptio, obseruante Illustri KOCHIO 49, se in foro suo ordinario iudicium non declinasse (wu dat de beklage de bynnen geboortiker tyd vor eren Lantheren / off vor den van = noch vor ern themeliken Richter / off in Gerichten / se under un inne gesetten weren un syn / nye mit Rechte beclaget sint / und darvor und ynn nye Rechts gewengert hebben). Inde et, quum animi contra vemica iudicia maxime essent commoti, iurisdictionis in eos qui alibi conueniri non potuerant aut coram iudice suo sistere se noluerant, illis concessa est 50.

XIII.

Inter alia id praesertim, ubi de negotiis, quae Missis incumbere, agitur, saepissime inculcatur, ut praecipue inquirent in latrones, homicidas, periuros, raptores, violatores ecclesiarum 51; eadem delicta prae ceteris iurisdictioni suae subesse censuere iudices Vemici,

C 2

XV.

49. *lib. cit.* §. 1. p. 4. Add. DATT. p. 756. n. 56. sqq. RESPONSO SCABINOR. 2. *ibid.* p. 777. n. 4. et ap. HAHN. p. 612. Add. EVND. p. 638.

50. DATT. p. 730. n. 41. p. 731. n. 50. p. 751. n. 21. p. 738. sq. n. 71-87.

51. GAP. *lib. III.* c. 55. FRANC. DE ROYE l. c. p. 150. sqq.

In Regum Francicorum legibus vbiuis praecipitur missis, vt quae repererint, quaeque emendaerint annotent et conscribant. 52. Probabile ergo est et auctores, et reos, et iudicia contra facinorosos et condemnatos seu forbannitos (si licet stylo regum vti) lata annotauisse missos. Nam et forbanniueri missi 53. iudicia sedium liberarum in criminosos non nisi per modum banni facta sunt; nec alius ibi, nisi qui in bannis, modus procedendi 54. Hos itaque, qui in iudiciis Vemicis accusati, citati, condemnati erant, iudices vemici, secundum leges missis praescriptas in libro quodam, quem illis fuisse narrant scriptores, litteris consignare debuerunt.

Inter praecipuos missos fuere Archiepiscopi, Episcopique 36. Immo in Gallia constituit CAROLVS CALVVS 55: *Episcopi singuli in suo episcopio missarum nostri potestate et auctoritate fungantur.* Itaque quum comites officia quae habuerant hereditario iure liberis reliquerint, neque poterit esse mirum quod Archiepiscopus Colonienfis Episcopique Monasteri-

52. CAPITVL. Lib. III. c. 56. DE ROYE: l. c. cap. XIII. p. 67. sqq.

53. Vid. exempli causa CAPIT. CAROLI CALVI tit. XIII. c. 6. ed. BALVZ. T. II. p. 65.

54. Condemnationes in iudiciis Vemicis vsitatae et MASCOVIO ac SPEFFINGERO (ex TURCKIO) T. III. p. 492. sq. memoratae declarationibus in bannum Caesaris ad amussim fere consentiunt.

55. CAPITVLARIVM SVORVM tit. 47. c. 12. apud BALVZ. T. II. p. 242.

XXI

steriensis et Paderbornensis, aliquoties missorum officio functi, iudicia Vemica habuerint ex antiquo.

XVII.

Antiqua vemici iudicii dominorum appellatio est *Stuhl Herr*; vemici iudicii *freyer Stuhl*; vocem *Stuhl* de alio iudicio adhibitam non reperi. At ipsos missos *Stolizazos* appellatos 56. iam LINDENBROGIVS et HACHENBERGIVS 57. notarunt; quod sane nomen non aliud est quam *Stuhlsassen*; (a voce *Stuhlherren* non multum differens) et admodum conueniens missis primis, qui ipsi in sede sua sedebant iudicantes; mutandum postea in *Stuhl Herren* quum non amplius causas dispicerent ipsi, sed aliis earum curas mandarent.

XVIII.

Non improbabile est missis dominicis etiam aliquando a regibus coram data esse alia mandata, diuersa ab iis, quae scripta habebant. Sane CAROLVS 58. praecepit vt *perficiant*, quod eis iniunctum fuerit; agere eos iussit. 59. *secundum iussionem suam*. Clarius LVDOVICVS PIVS 60. et de aliis causis, inquit, quas minime in hoc capitulare inseruimus et necessarij sunt

C 3

56. in LEGIBVS LANGOBARD. Lib. I. tit. 19. leg. 5.

57. LINDENBROGIVS in *Glossario* p. 1483. teste V. C. 10. w. NEVHAUS in *praefat. ad FR. DE ROYE* de missis dom. librum. HACHENBERG in *Germ. media Diss. III. §. 26. p. 96.* Add. V. C. WALCH. in *cir. diss. §. 4. p. 9.* ibique adducti.

58. CAP. III. a. 810. c. 1.

59. CAP. V. a. 806. c. 1. (L. III. c. 17.)

60. in CAPIT. VI. a. 819. c. 11.

funt commendandi (ita legitur) per vestram sanctissimam monitionem emenda. Si quae fuerint talia missis mandata, nihil est quod nos impediatur quo minus putemus ea finito iudicio cum solis *melioribus* et *veracioribus* (§. XII.) tractata esse; indeque secretam Vemici iudicii partem exortam esse sensim. Nam et quae agenda erant a missis ex mandato secreto, ipsi soli agere non poterant: non erat olim iudicium nisi apud populum aut Scabinos; nulla fere potestas iudicis, nisi in sententia confirmanda; ut omnis iudiciorum Germaniae antiquitas loquitur. Fuisse inter haec mandata a Carolo missis suis data et illud, ut inquirerent in eos qui Christi dogmatibus relictis ad colenda idola et superstitiones antiquas reuerterentur, sane probabile est. Conuenit illud Caroli fini, conuertendi Saxones etiam inuitos ad cultum Christi; quem in bello contra Saxones gerendo semper sibi ob oculos positum habuit; cuique firmissime instituit.

*Hinc statuit, requies illis ut nulla daretur,
Donec gentili cultu rituque relicto*

Christicolae fierent, aut delerentur in aeuum.*

Hinc ad Alleram Saxonum quatuor millia et quingentos inermes occidi curauit; hinc in legibus Saxonibus datis ipse sanxit: 6r. *Si quis deinceps in gente Saxonum inter eos latens non baptizatus se abscondere uoluerit et ad baptisuum venire contempserit morte moriatur.*

*. POETA SAXO ANON. ad a. 775.

6r. CAPIT. DE PART. SAXON. cap. 7.

tur. His opinionibus imbutus Carolus, si arcana iussa missis suis commisit, procul dubio et animadversionem mandavit in eos qui a Christi dogmatibus desciverant. Nulli huic rei magis apti iudices quam missi.

XVIII.

Legitur missis praecipue incubuisse curam in episcopos et clericos; ut in eorum vitam moresque, immo quo episcopi modo clericos suos regerent, prae aliis inquirere, curarentque ut decimae praestarentur, ecclesiae repararentur, alia ⁶²; Non haec egere iudices vemicis; ut multum hanc in rem a missis videantur differre. Sed fere omnes Westfaliae episcopi iam a regibus ex Carolino stemmate prognatis illud obtinere privilegium, ut missis dominicis nullum in eos eorumque homines ius, potestatem nullam exercere liceret ⁶³; ut, quod missis ademptum, et vemicis iudicibus ademptum esse censendum sit; iique ideo ipsi in clericos sibi nihil iuris adseruerint quamdiu contra eos iustitia coram iudice suo ecclesiastico obtineri potuerit ⁶⁴.

XX.

62. Loca Capitularium huc spectantia congregavit FRANC. DE ROYE *lib. cit. c. X. p. 44. sqq. p. 118-143. p. 163. sqq. 145. sqq. - 249.* Add. V. C. WALCH. *cit. diff. §. II. sqq.*

63. *Osnabrugensium* episcoporum diplomata hanc libertatem a iudiciis missorum dominicorum experientia edidit HENSELERS in *diff. de dipl. Caroli M. Ofn. app. A. sqq. Paderbor-nensium* SCHATENIUS in *Ann. Paderb. aliorum alii.*

64. Ceu liquet ex RESPONSIONE 16. SCABIN. ap. DATT. *p. 779. n. 36.* et HAHN. *p. 617.* Add. DATT. *744. n. 49. p. 752. n. 29. sqq. p. 776. n. 24.* HAHN. *p. 632.* MASCOV. *p. 84.*

Itaque probabile existimo his argumentis quae adduxi coniunctis permotus, a missis ita descendere iudices Vemicos, vt a comitibus gograuii aliue prouinciales iudices. Quemadmodum prouincialia iudicia ab his orta sunt, nec tamen quum constituerentur primum, prorsus cum hodiernis eadem fuerunt, tempore, quod variat omnia, immutata non parum: ita et vemica iudicia a prima institutione et officiis missorum aliquantulum deflexerunt, et nihil eo minus ab iis originem vltimam trahere potuerunt. Superfunt adhuc hinc inde veterum aduocatorum et ecclesiasticorum et ciuiliu reliquiae, multum quidem mutatae ab antiquis, eadem tamen, nec faciem pristinam prorsus negantes. Si non omnia, quae quondam vel egerunt vel agere potuere ac debuere dominici missi, a vemicis iudicibus peracta reperiuntur: non est quod miremur alteratam hinc inde rerum faciem, quum, qui antea mandato regio egerant, nunc iure proprio agere inciperent; quumque ex antiquioribus temporibus acta vemica non satis cognita deprehendantur. Vnde etiam proum est conicere cur omissa fuerit a liberis comitibus sequentis aevi, cura rerum fiscalium, censuum regi debitorum, heribanni, monetae, villarum regiarum, rerumque aliarum quae sollicitate missis commissa fuit, quum ministri regis essent.

XXI.

Irrepserunt in haec iudicia iniuria temporis abusus non pauci, aliquoties opus reformationum emendati; semper tamen recurrentes. Sed et non pauca vemicis

XXV

micis iudicibus esse vitio data quae ab ipsis non erant commissa; vel vitia et peccata scabinorum iudiciis ipsis imputata esse, non putem vocandum in dubium. In hunc censum refero, quod innocentes indefensos primum suspendisse in arborem infelicem, postea de crimine quaesivisse dicantur; quum ordinationes iudicii ⁶⁵ longe alia praeceperint, nec executionem poenae promptam permiserint nisi quis in ipso delicto (mit handhafter daet/ blickenden Schreie und gichtigem Munde) a pluribus scabinis fuisset deprehensus. Reum autem sceleris manifestum statim punire non alienum fuit a priscis Germanorum et praesertim Westfalorum moribus. Demis abusibus multa praeterea sunt in iudicio Vemico legibus Francorum consona, ut Francicam originem et Francicarum legum vestigia in iis facile adgnosceri liceat. Sed haec aliaque praetermittere me nunc oportet, exclusum spatio.

XXII.

Quemadmodum sensim ducatus comitatusque perpetui et hereditarii sunt facti: potestate, quae officio coniuncta fuit, cum hoc a patre in filium trans-eunte, tandemque in familia, ut hereditas, manente: ita et missorum officium perpetuo mansit ecclesiis, quorum Archiepiscopi saepe missorum officio erant functi; nec non iis comitum nobiliumque

D

fami-

⁶⁵ ORD. AP. HAHN. p. 603. et MASCOV. p. 86. sqq. RESPONS.
16. SGAB. AP. DATT. p. 779. n. 38. et HAHN. p. 603.

XXVI

familiis, ex quibus nonnulli aliquoties missi fuerant; vt ius missorum factum fuerit non aliter hereditarium, quam ius ducum et comitum. Hoc modo esse prognata iudicia missorum perpetua, et haec paulatim inuersa atque immutata in venica abiisse, non quidem certum, probabile tamen iudico. Difficile enim est in re antiqua, de qua antiqui non commemorant, certi aliquid statuere et omnem prorsus excludere dubitationem. Quum multa sint alia, quorum certam ignoramus originem, adquiescimus tamen in probabili: nec erit, quod feramus aegre, si in iudiciis venicis eam non nanciscamur certitudinem, quam in mathesi possidemus, in philosophia venamur.



Flectit se nunc oratio ad vos, CIVES GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQUE ALMAE IVLIAE CAROLINAE, quibus enumerare constitui quos suscepturus sim per hyemem et huius et sequentis anni labores vobis dicatos. Publice illustrabo Viri Cel.

I.

HORA III.

ALEXANDRI GOTTLIEB BAUMGARTEN *Metaphysica*; libellum mole paruum at rerum argumentorumque pondere grauem; breuiter, nec tamen obscure, scientiae huius dogmata ita complexum vt noua non pauca tradat, multa arctius acutius, et nouo vtplurimum more connexa, multa profundius eruta exhibeat, et hinc cum a solida doctrina tum a nexu merito veniat commendandus. Tum horis

II.

HORA

VIII.

priuatis declaraturus sum Perillustris L. B. DE WOLFF *Iuris naturae et gentium institutiones*; nec non eiusdem

dem *praecepta logica*; in quibus postremis eo ver-
fabor modo, vt non dogmata tantum ipsa explicare
velim; sed et modum, quo ea ad vsum in scientiis
transferuntur, tradere, ac si qui in condendis
definitionibus, demonstrationibus aliisue ad pra-
xin huius scientiae spectantibus, exercere se velint,
iis quae forte in operibus ipsorum queant cura-
tius aut emendatius scribi, ostendere. Quam Ce-
leberr. IO. AD. KOPPIVS, ante aliquot emisit an-
nos *Historiam Iuris*; omnis, illius quo nos Germa-
ni vtimur, iuris fata referentem, enarrabo; iis
quoque qui expositionem *Aesthetices* v. C. ALE-
XANDRI BAYMGARTEN a me desiderabunt,
cupientque et hic praeceptis adfoeciari praecepto-
um vsum; sedulam promitto industriam, facile de
hora his studiis commoda cum illis transacturus.

XXVII

III.

HORA X.

III.

HORA II.

V.

Quibus vt interessè praelectionibus velitis, vos
COMMILITONES SVAVISSIMI, quam humanis-
sime inuito; quos et, vt mihi, vestrum omnium sin-
gulorumque studiosissimo, fauere velitis, rogatos cu-
pio. Scripsi in Celeberrima Iulia Carolina
d. XVII. Octobris
MDCCLI.



XVII
... in quibus posueris eo vult
... non dicitur ...
III
... in quibus posueris eo vult
... non dicitur ...
III
... in quibus posueris eo vult
... non dicitur ...
V
... in quibus posueris eo vult
... non dicitur ...

... in quibus posueris eo vult
... non dicitur ...
... in quibus posueris eo vult
... non dicitur ...
... in quibus posueris eo vult
... non dicitur ...
... in quibus posueris eo vult
... non dicitur ...




Handwritten text on the right edge of the page, possibly a library or collection label.



Helmsedt, Diss., 1750/52

X 230 90 95





B.I.G.

Farbkarte #13

DE ORIGINE
 IVDICIORVM VEMICORVM
 PROLYSIO ACADEMICA


1752,3
19

QVA
 RECITATIONES PHILOSOPHICAS
 ET IVRIDICAS

P. 452

PER SEMESTRE HIBERNVM
 ANNORVM MDCCLI ET MDCCLII
 INSTITVENDAS

INDICAT
 CAROLVS GERARDVS GVILIELMVS
 LODTMANN
 PHILOS. ET V. I. D. PHILOS. P. P. O.
 ET FACVLT. IVRID. ADS.



HELMSTADII
 LITTERIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
 ACAD. TYPOGR.

